



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Iuvenilis ambitio & regimen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

fortius utere Ioris

Hoc est, severius age pater cum filio. Sed nimirum nec iurandum imprudentissimum infringere; nec filium contristare voluit; cuius rei exemplum Herodes Antipas dedit, qui dimidium regni saltatriculæ filia promisit, & ne tristitia Mimam afficeret, caput Sacratissimum Joannis Baptistæ petenti donavit, tam stolidus in pollicendo, quam crudelis & impius in juramento præstando. Phœbus nimiam indulgentiam expertus est illud proverb. 19. *Filius stultus dolor est patris.*

II. (b) Exprimat hæc fabula imaginem ambitiosi juvenis illustri Majorum profapia inflati præsertim Principis, qui gloria & regnandi cupiditate incensus cogitat sublimia, & concipit æthera mente. Alcianus emblem. 56. Male summa regnorum & rerum publicarum imperia conceduntur tam ab ætate, quam experientia infirmis. Quoties enim hinc incendia bellorum, discordiarum faces, & non unum miseriarum genus. Utque taceam profanas historias, cui non cognitus est è sacris libris *Roboanus* stultissimus sapientissimi Salomonis filius, qui spreto seniorum consilio, illud quasi inculcantium, quod hic Ovidius Soli tribuit

Medio tutissimus ibis.

Æqualium feroces secutus impetus, decem tribubus à se abalienatis, maximam regni Israëliti partem perdidit. Quod parens ejus jam antè prævidens, dixit: *Va tibi terra, cujus rex puer est.* Eccles. 10. qui nondum per ætatem ut quidam sapientum scribit, cepit experientiam, nec adhuc mens ejus casuum varietate decocta maturuit. Adolescentia, ait S. Ambrosius lib. 1. de Interpell. c. 7. est invalida viribus, infirma consilijs, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delicijs, atque æstu sanguinis vaporantis ignescens. Accedit Xenophon: sicut, inquit novelli citharædi multas perdunt citharas, sic cupidi juvenes rempublicam sæpe evertunt. Quibus pro lemmate addas: Quacunque incedunt, incendunt.

III. (c) Adaptari quoque potest hic Phaëthontis casus cuiusvis homini ambitioso, per suam & aliorum ruinam ad honores grassanti, cuius rei symbolum pyrausta vel pyralis, animalculum pennatum muscæ simile, quod ignis fulgore vehementer latatur, & ad lucernas advolans, alludit ad flammam, donec vivus comburatur. Ælian lib. 12. c. 8. Ambitiosi ad honorum fulgorem propius accedentes, decussis temeritatis alis, plerumque gravissimo lapsu corruunt. Abjeti proceram suam staturam

(b) Juvenilis ambitio & regimam. (c) Idemita cupiditates.

turam